



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rvperti Abbatis Monasterii Tuitiensis, ordinis sancti  
Benedicti, Theologi antiqui ac plane clarissimi, in Cantica  
Canticorum de incarnatione Domini commentario[rum],  
libri VII**

**Rupertus <Tuitensis>**

**[Köln], 1527**

**VD16 B 3703**

Caput eius aurum optimum

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34445**

RVP. IN CAN.CANT. CA. V.  
quod est abstulisse de manu generis humani s.  
omnium qui ad uitam erant præordinati, qui o-  
mnes dicuntur & sunt una Hierusalem, calicem  
iræ & fundum calicis, id est, sententiam utrius-  
q; mortis animæ & corporis. Vnde hoc illi, ut  
talis uel tantus deberet esse electus? In quo dis-  
cernitur? Quo differt a cunctis?

¶ Caput eius aurum optimum

Psal. 44. ¶ Hoc est eius proprium, & hinc est illud, quod  
ueraciter esse dicitur, speciosus forma præ filii  
hominum: quia caput eius aurum est optimum  
.i. principalis eius natura uera diuinitas est, ipse  
est enim deus, Dei uerbum, quod erat in princi-  
pio apud Deum. Nam deus erat uerbum. Ex du-  
abus unus idemq; subsistit naturis, diuina s. &  
humana, & ob hoc diuina eius natura recte di-  
citur caput, quia principium est, quemadmodū  
quodam loco dicit: Ego principium qui & lo-  
quor uobis. Quid tanti ponderis ut hoc aurum?  
Quid tam pulchrum, ut hoc caput aureum?  
Quid tam preciosum ut hoc uerbum? Ego dile-  
cta pōdus auri huius ineffabiliter in memetipsa  
persensi, quando de cœlo in uterum meum des-  
cendit. Sed habet quandam de semetipso mirabi-  
lem atq; inæstimabilem efficaciam, quo morta-  
lis conditionis uterum fragilemq; hunc sexum  
ita dulciter solidare nouit ac potuit, ut nō solum  
non frangeretur, uerum etiam delectaretur pon-  
dere eius paruitas uteri mei, cum sit ipse quem  
tremūt angeli, quem totus non capit orbis, sub  
quo curuantur (ait scriptura) qui portant orbē.  
Efficacia hæc gratia eius est; sine qua nulla sub-

Ioan. 2

eo creatura subsistere potest. Hoc habet præ cū-  
ctis milibus. s. tale, tāticq; pōderis caput, & hinc  
est dilectus ex milibus.

**C**omæ eius, sicut elatæ palmarum, ni-  
græ quasi coruus.

**C**omæ huius capitis sunt omnes scripturæ  
ueritatis. Sicut enim comæ de capite prodeunt,  
& capitis quoddam sunt ornementum : ita oēs  
scripturæ diuinitus inspiratae, de plenitudine hu-  
ius uerbi siue electi acceptæ sunt, & omnes huic  
electo perhibent testimonium.

**I**llæ comæ sicut elatæ palmarum, id est, sicut  
folia palmarum, quæ uidelicet folia iccirco di-  
cuntur elatæ, quod eleuentur sursum, qd nō pen-  
dent deorsum, sicut aliarum arborum. Est autē  
palma arbor, insigne uictoriæ ramis obpansis ī  
modum palmæ hominis, procero ac decoro uir-  
gulto, diuturnisq; uestita frondibus, & folia sua  
sine ulla successione conseruans.

**V**ere ergo comæ eius uidelicet, electi siue au-  
rei capit is dilecti sicut elatæ palmarum, quia ui-  
delicet scripturæ ueritatis, quarum utiq; priuci-  
pium est caput illud, scilicet Deus uerbum: non  
sicut scripturæ hominum, terram aspiciunt, sed  
sursum tendunt, & quæ sursum sunt querunt:  
siquidem non occidentem literam, sed uiuiscan-  
tem sequaris spiritum, & ualdae diuturnæ sunt,  
sicut imo plusq; elatæ siue folia palmaru, Quia  
cœlum (inquit) & terra transibunt, uerba autē  
mea non trāsibunt, & iota unum aut unus apex  
non præteribit a lege donec omnia fiant.

**S**unt autem nigræ quasi coruus, quia (sicut ali-

L 3

2. Cor. 3.

Luc. 21  
Mat. 5.